

Portsey.

tim retrahitur littus, sinumque insula quæ *Portsey* dicitur, efficit, in cuius interiori recessu floruit olim *Port-Peris*, ad quem *Vespasianum* appulisse produnt, majores nostri novo nomine *Port-chester* dixerunt, non à Porta Saxone, sed à Portu: *Ptolemæo* enim *Μεγας Πυλῶς*, id est, *PORTVS MAGNVS*, vocatur, à spacio, uti etiam ille *Portus magnus* in Africa, teste *Plinio*. Castrumque sane amplum superest, quod in subjectum portum longe lateque prospectat. Cum autem portus commoditatem Oceanus recedendo paulatim subtraheret, hinc demigratum est in *Portsey* insulam adjunctam. Quæ 14 plus minus millia ambitu colligit, salis aquis intumescente æstu circumflua, ex quibus salem coquunt, & ponte, qui suum propugnaculum adjunctum habuit, continenti conjuncta. Hanc *Athelfleda* *Eadgari* Regis uxor *Novo monasterio* *Wintoniæ* dederat: & in ea ad ingredientis sinus fauces, sive ostium oppidum majores posuerunt, indeque *Portsmouth* dixerunt, id est, *Portus ostium*. Inardescente bello frequens est, alias infrequens, Martique potius & *Neptuno* quam *Mercurio* studet. *Ecclesiam* habet opere satis verusto, & *Hospitale* (*Dei domum* vocant) à *Petro de Rupibus* *Wintoniensis* Episcopo fundatum. Muro ex trabibus multo aggere vestitis, mole quondam ad Ortum æstivum prope portam & duobus ad portus ingressum è vivo saxo propugnaculis communitum, quæ ab *Edwardo Quarto* inchoata, *Henricum Septimum* perfecisse, præsidioque oppidum firmasse referunt incolæ. Sed nostra memoria *ELIZABETHA* Regina magnis sumptibus, novis operibus ita quasi armavit, ut jam nihil desit, quod in loco munitissimo requiras. Et ex præsidariis alii nocte dieque ad portas, alii in turre sacra stationes agunt, qui pulsu campanæ quot equites & pedites accedunt, & ex qua parte, ostenso vexillo, significant.

Meanvari.

Hinc à *Portes-bridge* circumacto littore vidimus *Havant* mercatorium oppidulum, & in proximo *Warblington* speciosas ædes olim *Sarisburien* Comitum, nunc equestris familiæ *Cottonorum*. Quibus præjacent duæ insulæ, altera major *Halting* dicta, altera minor *Thorney*, à spinis, & utraque suam habet *Ecclesiam* parochialem. Pluribus per hoc littus locis, ex marinis aquis affusis sal conficitur colore subpallido & viridi, quem certo artificio in candidissimum excoquunt. Et de hoc marino sale, non de nostro fontano, intelligendus est *S. Ambrosius*, *Spectemus ea quæ sunt usitata multis, & plena gratia, quomodo aqua in salis vertatur soliditatem, ut ferro saepe cadatur. Quod de Britannicis salibus nihil mirum, qui in speciem marmoris validi, ejusdem metalli niveo candore resplendent salubres corpori, &c.*

Beda lib. 4 cap. 13. Warnford.

Adæ hic Portu benedicat Solis ab Ortus Gens Deo dicata, per quem sic sum renovata.

Interius à mari *MEANVARI* incolunt, quorum agrum cum *Veeta* insula *Edilwalchius Australium* Saxonum Rex ab *Wlphero Merciorum* Rege, qui illum è sacro baptismatis fonte suscepit, in signum adoptionis accepit. Horum sedes nomine vix immutato, hodie in tres Centurias divisa, *Meanborow*, *Eastmean*, *Westmean*, inter quas collis editus attollitur, amplo vallo in summitate circumductus, *Old Winchester* dictus, ad quem urbem antiquitus fuisse perhibetur, sed

nec vola, nec vestigium, ut ajunt, jam superest, ut tantum castra æstiva fuisse facile dijudices. Sub hoc *WVarnford* subsidet, ubi *Adam de Portu* vir magnarum in hoc tractu opum, *Guilielmo* Primo regnante, *Ecclesiam* renovavit, ut incultum *Distichon* parieti infixum docet.

His finitimi in interioribus *SEGONTIACI* illi, qui se *Cæsari* dederunt, ad *Septentrionalem* hujus agri limitem in *Centuria de Holeshot* condescerunt: in qua cernuntur *Aultun* forum, quod *Ælfredus* Rex custodi de *Leodre* testamento legavit, & *Basingstoke* forum non infrequens, quod *Sacellum* perpulchrum ostendit *Spiritui sancto* sacratum à *Guilielmo* primo *Barone Sandes*, qui ibidem sepultus. In cuius laquearibus historia sacra cum *Prophetarum*, *Apostolorum*, & *Discipulorum Christi* iconibus præcellenti artificio depicta spectatur. Sub hoc, *Basing* ad Ortum adjacet *Dominis* sui cognomine *S. Iohn*, *Poinings*, & *Powlettis* notissima. Cum enim *Adam de Portu* *Dominus de Basing* filiam & hæredem *Rogeri de Aurevall*, cujus uxor filia itidem & hæres fuit familiæ prænobilis de *S. Ioanne*, sibi junxisset, *Guilielmus* ejus filius honoris causa nomen *S. Ioannis* assumpsit, quique illi recta serie successerunt, retinuerunt. Verum cum *Edmundus* de *S. Ioanne* sine prole, tempore *Edwardi Tertii*, diem clausisset, *Margareta* ejus soror maritum suum *Ioannem* de *Sancto Philiberto* possessionibus *Dominij S. Ioannis* locupletavit: illa autem sine sobole defuncta, *Isabella* altera soror *Lucæ Poinings* uxor *Thomam* *Dominum de Basing* peperit, cujus è filio *Hugone* neptis *Constantia*, cui pro hæreditaria portione hoc obtigit, enupta fuit in familiam *Powlettorum*, proaviaque fuit *Guilielmi* illius *Powlet*, qui *Baro Sainct Iohn de Basing* ab *Henrico Octavo*, *Comes Wiltoniæ*, *Marchioque Wintoniæ* ab *Edwardo Sexto* creatus, *Angliæque summus Thesaurarius* constitutus, maximis turbulento tempore decursis honoribus, naturam fatietate vivendi, rara inter aulicos scelicitate, explevit, cum ædes hic tum amplitudine tum elegantia ad miraculum magnificentissimas extruxisset, quæ ita mole laborarunt sua, ut posteritatem nonnullam demoliti fuerint.

Prope has *The Vine* visitur, *Baronum de Sandes* mansio nitidissima, à vitibus denominata, quas in *Britannia* ex *Probi Imperatoris* tempore umbraculi magis, quam fructus gratia habuimus. *Britannis* enim & aliis permisit ille ut vites haberent. *Horum Baronum Primus* erat *Guilielmus Sandes*, quem *Rex Henricus VIII* eo dignitatis evexit, cum sibi esset *Camerarius*, & rem nuptiis cum *Margeria Bray* filia & hærede *Ioannis Bray*, cognata *Reginaldi Bray* ordinis *Georgiani*, *Banerettique* clarissimi adauxisset, ex quo natus est *Thomas Dominus Sandes*, avus *Guilielmi* qui nunc superstes. Huic in Ortum brumalem vicina est *Odiam* regis nunc ædibus superba, & *Davidis II* *Scotorum* Regis carcere nota, quondam *Episcopi Wintoniensis* municipium, cujus propugnaculum, regnante *Ioanne*, tredecim *Angli* quindecim diebus fortissime contra *Ludovicum* *Francum*, qui circumfuso exercitu acriter invasit, defenderunt.

Superius inter hos *Segontiacos* ad septentrionalem

Segontiaci.

Basingstok.

Basing. S. Iohn.

Ex Missali vensto hujus familie. Powlett.

Vixit annos 97.

Vites in Britannia. Vopiscus. Barones de Sandes.

Odiam.

Mathæus Paris.